

pendio historiale della città d'Asti edito cura filii eiusdem Hannibalis Honorati Malabailae Romae a. 1638 (10 foll. fol.; extant duae editiones cum indice eodem, v. n. 7593); nam auctor quamquam ex titulis apud Turcum relatis duos tantum compendio inseruit, totum usurpavit, nisi ipse est Raimundus ille Turcus personatus. Crediderim enim ab ipso Guidone fraudes has originem ducere, quoniam praeter titulos qui redeunt in commentariis Turci nomine inscriptis novit n. 816* eiusdem omnino originis, apud Turcum autem non relatum. — De his fraudibus cum Franciscus Augustinus della Chiesa in chronologica historia edita a. 1645 (v. p. 773) recte iudicavisset, alter MALABAILA fratris Guidonis filius nomine PHILIPPUS monachus Cisterciensis congregationis S. Bernardi eum impugnavit libello primum edito sub hoc indice 'clypeus civitatis Astensis ad retundenda tela, quae auctor chronologicae historiae de praesulibus 'Pedemontanis in eam intorsit' (Astae 1647. 4. pp. 32), deinde aucto et repetito sub intitulatione hac: 'clypeus civitatis Astensis, liber apologeticus varia eruditione de institutione et iuribus regni Italiae exornatus' (Lugduni 1656. 4. pp. 120). Philippus commenta apud Guidonem relata non solum titulis defendit ex Turci libello illo ab ipso primum editis, sed item alienam fraudem sua tutari conatus est; nam ipsius illius tituli commenticii (n. 803*), quem impugnavit Chiesa, partem dimidiam suo tempore denuo repertam esse et in curia collocatam asseverat similique mendacio impudentissimo si qua commenticia et quae ipse suspecta esse sentiat profert, ubi tituli extiterint et quomodo perierint diligentissimis nugis enarrat. His nugis simillima sunt collectanea de rebus Astensibus edita apud Pasinium (catal. bibl. Taurin. vol. 2 a. 1749 p. 307—350) ex fasciculis quinque chartaceis saec. XVI, qui servati aliquando in bibliotheca universitatis iam non magis ibi comparent. Eos esse ipsius Philippi Malabailae dubitari non potest; citatur in iis p. 310 orthographia Aldi afferturque p. 315 epitaphium anni 1578. Citavi sub nomine COLLECTANEORUM MALABAILAE TAURINENSIVM. Omnino quidquid legitur cum apud Turcum qui dicitur tum in libellis Malabailae utriusque pessime fictum est nec nisi unum genuinum titulum (n. 7555) suis commentariis nugatores inseruerunt. Aliter iudicandum est de titulis, quos exceptos 'aut in civitate aut in territorio Astensi' Philippus Malabaila misit Guichenonio editos in eiusdem historia Sabaudica (1660) vol. 1 p. 49—52; nam horum titulorum cum alii ex Turco excerpti sint, alii ad easdem fraudes pertineant apud Turcum non relati, alii rursus sinceri sunt et intemerati. Infelici autem casu evenit, ut in Hastensibus nullum testem habeamus Malabailae aequalem, item tam anterioris quam posterioris temporis testimonia perpauca, ut in compluribus titulis res redeat ad unum Philippum Malabailam testem ut suspectum ita unicum. Demptis tamen paucis reliqui ita comparati sunt, ut ab inuito auctore nullo modo fingi potuerint. Sunt in iis quidam in pagis extra agrum proprie Hastensem excepti, ut n. 7340 Lombriasci repertus est, n. 7466 Vezzolani prope Albugnanum, n. 7600 Albae. Versuum divisionem Malabaila diligenter retinuit nec titulos genuinos quos habet interpolavit, ut exemplis eius

licet corruptis aliquatenus recte insistas. — Post Malabailas per saeculum fere ad lapides Hastenses nemo attendit, nisi quod GILFREDUS theatro statuum a se edito a. 1682 unum n. 7566 inseruit. Deinde qui venerunt Iosephus CARRETTA parochus Astensis et Alexander CHIAPPINI Placentinus, qui L. A. Muratorio Hastensia quaedam miserunt; RICOLVIUS; BAGNOLIUS; BARTOLIUS; ANONYMUS COD. 921 et alter qui saec. XVIII exeunte inscriptiones subalpinas collegit (cod. bibl. reg. Taur. hist. patr. MISC. 53 n. 13) plerasque ex libris, sed Astenses ex ipsis lapidibus (de quibus auctoribus supra dixi in praefatione Taurinensium); Seraphinus GRASSI *storia della città d'Asti* (Asti 1817. 4. voll. 1. 2) scriptor nequaquam accuratus; GAZZERA in schedis variis ab amicis sibi subministratis, inscriptionum Hastensium corpus auxerunt additamentis non multis. MOLINAE autem librum (*notizie storiche profane d'Asti*. Asti 1774. 2 voll. 4) examinatum abieci totum. Nuperrime IOHANNES FRANCISCUS MURATORI in commentario *Asti colonia Romana e sue iscrizioni Latine* (edito primum a. 1869 in quarto volumine actorum minorum Taurinensium p. 65—135, deinde eodem anno seorsum Taurinis 8. pp. 88) Hastenses titulos composuit, sed opera parum utili nec locis aditis nec auctoribus satis pervestigatis. His utiliora repperi, quae Carolus PROMIS et Ariodantes FABRETTI (in eodem actorum minorum volumine p. 47—63) ad eum commentarium observaverunt. Hodie qui Astae degit notarius Ernestus MAGGIORA-VERGANO quamquam nummis maxime operam dat, etiam ad inscriptiones patrias attendit et uti me praesentem summa comitate adiuvit, ita nihil omnino neglegit, quod ad bonarum litterarum incrementum faciat.

Hasta (sic tituli duo domestici n. 7555. 7563 et urbanus Grut. 1107, 6; *L. Caelio L. f. Pol. Clementi Hasta* et Mogontiacensis Brambachi n. 1166; *C. Valerius L. f. Poll. Tertius Hasta*, item Plinius 3, 5, 49. 35, 12, 160 secundum optimos libros et Peutingerana), rarius Asta (sic tituli domestici n. 7559, sed lectionis parum certae, et Bonnensis Brambachi n. 473; *M. Cominius L. f. Pol. Asta* et Mogontiacensis eiusdem n. 989; *C. Cornelius C. f. Pol. Asi* vel potius *Ast*) servat adhuc nomen antiquum vix mutatum. — In tribu fuisse Pollia praeter domesticos complures tituli quattuor militares supra allati comprobant. — Ad viam fuisse Dertona Pollentiam pergentem supra p. 831 observatum est. — Colonia dicitur Ptolemaeo 3, 1, 45; *Astensis civitas* Cassiodorio in rescripto ad Ligures var. 11, 15. In titulis reperiuntur *Iiviri quinquennales* n. 7566. 7567, *Iiviri iure dicundo* n. 7567, *Iiviri* n. 7566, *praefectus Drusi Caesaris* n. 7567, *aediles* n. 7567, *Viviri* n. 7562. 7564, *magister Minervalis* n. 7565, quod officium redit in Cunicensi n. 7462 et Cheriensi n. 7497, *collegium fabrum Hastensium* n. 7555. Calices ibi factos laudat Plinius h. n. 35, 12, 160. Ab Alarico Hastam frustra temptatam esse Claudianus ait (de VI cons. Hon. v. 202: *moenia vindicis Hastae*). — Ex agro nos inter Hastenses urbanos non rettulimus nisi suburbanos Azzanensem et Marzanottenses.

7555 Hastae GUICH. DON. In aedibus Mattiolarum MATT. 1598. Super ianuam Macellorum COLLECTANEA MALAB. TAURIN.

CONCORDIAE
COLL · FAB · HASTENS
M · VETTIUS · SECVNDVS
IN · MEMORIAM
5 VETTIAE-CIVITATIS-SORORI

Mattius *imprese d'Asti* (1587) in fine et opin. 1598 p. 63; Donius 4, 20 ex adversariis, ut ait, Manutii (inde Mur. 519, 3); Collectanea Malabailiana Taurinensia apud Pasinium 2, 311; Guichenon 1, 51 a Phil. Malabaila (inde Spon misc. p. 60). A prioribus Grassi 1, 44; Mur. Asti n. 29. 32 = 30. 33 divulsam.

Donius contaminavit cum n. 7557 et 7565. — 2 FAB·HASTENS Matt. (qui citat propter aspirationem) DON., FAB·ASTEN Pasin., FABR·ASTENS Guich. — 3 MARCVS Pasin. — 5 CIVITATIS om. Pas. — SORORI Matt. DON., SOROR Guich. Pas.

7556 Asti in arce.

IMP
SVA

Bartoli ms. s. v. Asti.

V